

num *sciuroides*. — 13. Hypnum idem, ni valde fallor. — 14. Hypnum, deest fructificatio, ergo non dicam. — 15. Hypnum *crispum*. — 16. Hypnum Dill. n. 62. ut videtur. — 17. Hypnum *abietinum*. — 18. Hypnum *riparium*, ut videtur. — 19. Hypnum *viticulosum*. — 20. Hypnum *triquetrum*. — 21. Bryum *apocarpon*? sed apices foliorum nivei, quod non antea vidi in ullo museo. — 22. Byssus? vel an pilositas quaedam fructus. — 23. Hypnum *sericeum*. — 24. Bryum *tortuosum*. — 25. Hypnum *velutinum*. — 26. Bryum *apocarpon*. — 27. Bryum *viridulum*.

*Alpes carpathicae* a Botanicorum pedibus numquam calcatae, procul dubio multas Tibi Tuoque immortali nomini servarunt plantas, cum sint altissimae. Sic sensim totus orbis erit a Botanicis perquisitus.

*Fagoniam* habui quondam, nunc vero non, planta haec annua non quovis anno semina apud nos maturat, ideoque perit.

Mittas parum e *Lichene* Tuo luteo, an Lichen parietinus?

*Forskåleus* meus qui est in Arabia felici observavit ibi passim fruticem, qui Opobalsamum producit.

Doleo praepropera fata Donati, qui naufragio periit in sinu arabico.

Incipio jam edere *Museum Reginae*, ditissimum insectis et conchiliis exoticis.

Theam, demum post 17 frustra iterata tentamina, vivam e China obtinui, quae procul dubio erit adeo frequens in Europaeorum hortis, ac umquam ejus popularis Syringa.

An prodibunt *icones insectorum D. Scopuli*, quae essent omnium exoptatissimae? an Fauna ejus prodit? si prodierit esset mihi maxime necessaria pro nova editione systematis.

Vale . dabam Upsaliae d. 4. Januarii 1764.